

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Vera Vi Et Ratione Decreti Hierosolymitani Act. Apost. Cap. XV. Dispvtatio

Nösselt, Johann August
Halaë, A.C. MDCCLXXXIV.

VD18 9083898X

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213282)



DE
VERA VI ET RATIONE
DECRETI
HIEROSOLYMITANI

ACT. APOST. CAP. XV.

DISPUTATIO.

QVA SE
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES
ACADEMICOS
CONTVLISSE

IN VIRVM MAXIME VENERANDVM
PETRVM HANSENIUM

IN ACADEMIA HAVNIENSI SS. THEOLOGIAE
PROFESSOREM EXTRAORDINARIUM ET AD AEDem

SPIRITVS S. PASTOREM PRIMARIUM

SIGNIFICAT

COLLEGIUM FACVLTATIS THEOLOGICAE

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

INTERPRETE

D. IO. AVG. NOESSELT

COLLEGII H. T. DECANO.

HALAE,

FORMIS I. C. HENDELI A. C. MDCCLXXXIV.

*Def. A is nicht genau freigegeben
nicht genau
nicht genau*

HEROBYMANT
DIE
VITA II II NATIONE

ALCOHOLIC
DIE II II NATIONE

ALCOHOLIC
DIE II II NATIONE

ALCOHOLIC
DIE II II NATIONE

ALCOHOLIC
DIE II II NATIONE

Quod in obscuris incertisque dis-
putationibus usu venire solet, ut, qui in
unam praecipuam difficultatem intentum
habeant animum, cetera fere negligant,
persequendisque, quibus illam declinent,
vestigii, decedant de via ea, quae certum
universae rei exitum dedisset: id haud
scio an acciderit plerisque incidentibus in
decretum Ecclesiae Hierosolymitanae, cu-

A

ius mentionem fecit LVCAS Actor. c. XV. Quo cum interdictam vidissent πορνείαν, coeperunt mirari, quid esset, quod scortatio omninoque nefandae libidinis flagitia componerentur cum peccatis mediis quasi et offensionis magis aliquid quam turpitudinis habentibus, resque maxime dispareres eodem paene numero notarentur; ac, si tamen graviora vitia cum levioribus interdicenda viderentur novitiis Christianis, ceteris omnibus relictis, hoc unum genus animadversione dignum putaretur? Huius autem rei causam et certum ambigui vocabuli sensum quaerentibus non venit in mentem, quaerere: fueritne in Hellenistarum Iudaeorumque, aut in Ecclesiae Antiochenae conditione aliquid, quo, qui de proposita quaestione Hierosolymis responderent, ad res nobili illo decreto comprehensas, nominatim ad πορνείας commemorationem, ferrentur? cuius generis si quidquam reperiri posset, et causam, quae

respondentium animos ad quatuor decreti partes direxisset, et earum ipsarum rerum vim teneremus. Tentemus igitur, an illam possimus reperire viam, eaque ad veram rationem vimque decreti Ecclesiae Hierosolymitanae peruenire. In quo utimur opportunitate Doctoratus theologici, Collegii nostri auctoritate collati in Virum Ven. PETRUM HANSENIUM, Professore Havniensem, et disputationis ab hoc oblatae nobis, quae et ipsa hanc causam tetigit inter cetera capita Actorum Apostolicorum, in quibus illustrandis quam maxime versatur. Sed, memores consilii, quo omnem hanc disputationem suscepimus, seiunctis omnibus, quae sunt super isto Hierosolymitanae Ecclesiae decreto ab aliis saepe multumque dicta, ea tantum persequemur, quae, ab illis praetermissa, aliquid adhuc luminis desiderare videntur, nec omnes huius decreti rerumque eo pertinentium ambitum complectemur, sed da-

bimus operam, ut quae bene scienterque viri docti disputaverint, paullo pleniora reddamus.

Ecclesia Christianorum Antiochena, unde profecta erat illa contentio, quae Hierosolymitanum decretum pepererat, pariter e Iudaeis conflata erat et Hellenistis h. e. proselytis (Act. XI. 20 seq.); qua in re dubitari non potest, istius dissensionis quasi semina quaeri debere. Etsi enim hos facile inter se ferebant Iudaei, et propter communem unius Dei cultum sui quodam modo partem faciebant: (*) tamen verebantur, ne hi animis inclinarent ad pristina; non quidem sic, ut clandestino cultu deos prosequerentur, (quid enim causae fuisset, cur hoc facerent ii, qui nec

(*) Ἐπειὸς τρώπα τιμὴ μίτρην αὐτῶν πεποιήτο, inquit IOSEPHVS de B. Iud. VI, 3. 3 de Iudaeis qui Antiochiae pristinos deorum cultores in societatem suam cooptassent.

in Iudaea degerent, nec vellent aliquem externorum, quae Iudaeorum propria essent, commodorum fructum capere, cum Antiochiae ceterisque extra Palaestinam locis cultores deorum in dominatu religionis imperiique essent, Iudaei autem, tamquam advenae, a ceteris contemti tolerarentur; nec ita, ut omni se libidini dederent, (cuius explendae longe maior erat licentia et opportunitas inter gentes ceteras, quam inter Iudaeos). Sed nimirum suspicabantur Iudaei, fore, ut Hellenistae cupidiores essent voluptatis cuiuscunque generis, quae, etsi natura sua minime pertineret ad deorum commenticiorum cultum, tamen esset illecebra religiosae turpitudinis. Huic voluptati maxime tum indulgebant ii, qui alias ab isto secesserant cultu, cum carne diis immolata vescerentur; si quidem ab amicis invitati vel in templis deorum atque delubris accumberent, vel ciborum sacrorum reliquias consumerent in aedibus privatis;

quo cum utroque conviviorum ac potius commissationum genere saepe erat nefandae veneris coniunctus usus. At istius modi conviviorum consuetudo flagitiosissima Iudaeis videbatur, cum et illos ita idolatriae participes fieri, certe hoc scelus non detestari, putarent, et vererentur, ne illi illecti feminarum amore, omninoque talium epularum lenociniis, ad ipsam impietatem revocarentur; praesertim, cum huius ipsius periculi causa, divinis legibus cautum esse scirent, ne quis veri Dei cultor alienigenarum feminarum consuetudinem sectaretur, et proselyti, ceteris Mosaicis omnibus soluti, hac una devincti essent, ut quem ad modum falsorum deorum cultum, sic omnia fugerent ea, quae utcunque ad eum possent allicere. Effecit autem hic ipse harum rerum consensionis metus, ut Iudaei vel eos existimarent in communionem profanae religionis venire, qui carne uterentur ante

oblata diis, post in macello ad vendendum
proposita; qui est tertius quidam mo-
dus, quo se idololatriae contagione con-
taminare putabantur; neque is praeter-
missus a Paulo Apostolo, qui haec omnia
eiusdem rei genera accurate tractat 1 Cor.
VIII—X.

Sed ut istis de caussis Iudaei diffide-
bant eorum constantiae, qui a deorum se
ad veri Dei cultum convertissent: sic ac-
cedebant aliae tum, cum utrique Christi
se disciplinae dedidissent, Antiochiae in
primis, ubi prima ex utrisque concreta
Ecclesia exstiterat; quibus certe factum
est, ut Iudaei metuerent, ne et ipsi, car-
nis impurae fructu, in pietatis discrimen
adducerentur. Numquam illi quidem coe-
nabant apud illos proselytos, quos Iudaica
consuetudo *portae proselytos* appellare so-
let h. e. qui se minime, suscepto circum-
cisionis signo, toti legi Mosaicae obser-

vandae addixerant (Act. X. 28); quamquam non erat nefas, et vero etiam ipsa lege praeceptum, hos ac se coenandi causa invitare (Deut. XVI, 28. c. XXVI, 12. 13.); credo, quod his in conviviis ciborum delectus a Iudaeis penderet, in illis autem verendum esset, ne cibi apponerentur, quibus, ne vescerentur, religio intercederet. Sed, cum per baptismum proselyti ius quasi plenum ciuitatis Christianae accepissent, nihil impediēbat, quo minus mutuis et communibus conviviis uterentur; erant enim fratres, et isti proselyti, propter commune baptismi sacramentum, eodem in numero, quo inter Iudaeos hi, qui a *iustitia* nomen habebant, propter ea quod, suscepta cum circumcisione omni religione Iudaica, videbantur omni iustitiae satis fecisse. Erant autem communes Christianorum epulae hae, quae a benivolentiae caritate *agaparum* duxerant nomen. Quas quis dubitet Antiochiae quoque introduc-

tas? Quid enim? si, quod laudabilis consuetudo unum in coetum Christianorum in-
vexisset, si igitur istud ceteri imitaban-
tur (1 Cor. XI, 16), maxime tum, cum
esset unus ab altero profectus, cum eo-
que ab illo communicata doctrina (1 Cor.
XIV, 36); si Ecclesia, quae erat Corinthi,
non dubitaverat agaparum consuetudinem
ex Hierosolymitana ad se traducere (cap.
XI, 20 seq.): id ipsum Antiochena non
fecerit, quam inter et metropolin Chris-
tianam scimus longe etiam arctiorem,
quam cum Graeciae Ecclesiis, coniunctio-
nem fuisse? Erat enim haec primum a
quibusdam exulibus condita Christianis,
qui Hierosolymis expulsi tandem perue-
nissent Antiochiam (Act. XI, 20.); quae
res cum Hierosolymis percrebuisset, statim,
qui ibi essent, Christiani Barnabam ad
Antiochenos miserunt, qui, Paulo assum-
to, primam ibi Ecclesiam, Christianae
nomine ornatam, fundavit (vers. 22 — 26);

e quo tempore ultro citroque missi sunt, qui utriusque Ecclesiae salutem curarent (v. 27. Gal. II, 12. seq.); et, cum Antiochiae controversia de Hellenistis servili Mosaicae legis iugo subiiciendis excitata esset ab his, qui eo ex Iudaea venissent, omnem causam Antiocheni ad Hierosolymitanam Ecclesiam detulerunt. In tanta utriusque Ecclesiae necessitudine non probabile videbitur, quod sumimus, cum ceterae Ecclesiae agapas ab Hierosolymitana ad se traduxerint, Antiochenam idem illud quam maxime fecisse?

Cum igitur Ecclesiae Antiochenae pars una Iudaeis contineretur, qui, quamquam Christiani, se tamen Mosaicae legis vinculis teneri arbitrarentur, altera iis, qui abiecto deorum cultu Christi essent doctrinam amplexi, utriusque autem generis homines sive privatim sive in conventibus sacris ad cibum capiendum coirent: fieri

poterat, ut in apposita carne talis esset, quam lex divina vel omnino vel hactenus vetuisset, quod esset e victimis residua, quam tamen Christiani de gentibus non dubitabant apponere, cum et commenticios Deos nullos et carnem illis oblatam rem minime sacram putarent, itemque convivas cuperent lectissima carne recreare. Hoc vel ipsis in agapis sive sacris Christianorum conviviis potuit accidere; quae cum non semper publicis sumtibus, ut in Hierosolymitana Ecclesia, fierent, sed etiam collatis convivarum symbolis apparerent (1 Cor. XI, 21.): facile intelligitur, quo modo, qui se obligatos interdiciis Mosaicis nequaquam existimabant, eos in communem usum cibos contulerint, quibus vesci nefas Iudaeis videbatur.

Ecce veniunt e Iudaea Antiochiam, qui negant eius Ecclesiae proselytos salvos esse posse, nisi circumcisionem a Mose praecep-

tam subeant (Act, XV, 1.). Quod etsi decretum mitioribus Iudaeis haud dubie durius visum esset, qui scirent, talem legem non magis novis Christianis ferri debere, quam esset proselytis inter Iudaeos omnibus lata: tamen nullo modo statuendum est, istos eam proselytis ad Christi disciplinam accedentibus licentiam concessisse, quae vel absconditam haberet profanae impietatis h. e. admissae idololatriae, suspicionem, vel simili cupiditate ceteros inficeret, omninoque religiosum quemque offenderet. Hos moderatos minimeque difficiles Iudaeos quis dubitet Paulli Apostoli partes (Act. XV, 2.) secutos esse, qui asperioribus universi Iudaismi patronis restitit? Enimvero Paulus is, qui summa diligentia asserebat novis Christianis omnem a lege Mosaica libertatem, ab iisque summo studio omnem Mosaicorum institutorum necessitatem removebat, is igitur Paullus nusquam vim infert Iudaeorum religioni; diligenter ca-

vet ne vel iis rebus, quae licerent, Iudaeis autem invisa essent, offenderentur; inprimisque hanc legem transfert ad cautum usum ciborum, quos Mosaica decreta vetuissent, actionesque universas, quibus probari idolorum cultus videretur (Rom. XIV. 1 Cor. VIII. seq.). An igitur dubium sit, leniores Iudaeos idem illud a Christianis commilitonibus postulasse, idque, quod desiderabant, ad Hierosolymitanos detulisse tum, cum dirimendam illis hanc controversiam tradidissent? Quod si fecerint, manifestam tenemus causam, cur Iacobus Apostolus ea, quae decreto Hierosolymitano prohibentur, nominatim ad fugiendum proposuerit, cum alias vix ratio quaedam reperiatur, qua ad haec nominatim definienda potuisset deduci.

Iam de quaestione sibi ad deliberandum proposita ita censet Hierosolymitana Ecclesia, ut circumcisionis necessitatem

Christianis de gentibus iniungendam repudiet, nec tamen vel ipsum commenticiorum deorum cultum, vel vitia inter profanos homines quam maxime regnantia interdicit; non alia de causa, ut opinor, quam quod haec utraque a proselytis sua sponte tamquam flagitiosa agnoscerentur, nec quisquam esset, qui talia cum Christiana disciplina consistere posse putaret, nec propter ea his de sceleribus quaestio unquam exstisset. Sed in praesenti causa omnem fugiendorum modum terminat decretum *his rebus, quas*, ut in arbitrariis proselyti, plurimi certe eorum, habere solebant, sic *Iudaei non obscuram iudicabant continere significationem idololatriae*, aut animi ab ea non admodum alieni; ac ne has quidem omnes complectitur, sed eas tantummodo, *quae se per convivium proderent*. In hoc videtur huius causae caput esse; hoc aditum ad veram decreti vim et ingenium intelligen-

dum patefacere; in hoc igitur elaborandum, ne, quod ita esse dixi, sine idoneis rationibus sumtum esse videatur.

Principio dabunt mihi lectores in hac disputatione hanc veniam, ut patiantur a ceteris in decreto commemorationem *πορνείας* seiungi, quas et alius, ac cetera, videri potest generis esse, et impeditam reddat eorum intelligentiam. Hac igitur re tractata, de qua posthaec erit dicendi locus, quid in illis decreti verbis relinquitur praeter *usum quendam ciborum*, a quo cohibere se debebant ii, qui, relicto idolorum cultu, Christi se religioni addixerant? nam *ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων* (Act. XV, 20.) vel *εἰδωλόθυτα* (v. 29) et *τὸ πνικτὸν* et *τὸ αἶμα* eiusdem omnino generis sunt h. e. ea, quibus *vesci* non liceret. A quibus non modo Iudaei maxime abhorrebant, sed et eadem sciebant alienigenis s. proselytis interdicta esse Levit. c. XVII. Quocirca

Iacobus rogationem confirmat his verbis (v. 21.): *Moses enim ab ultimis temporibus singulis in urbibus habet a quibus praedicetur, in synagogis quoque sabbato lectus; quae non possunt alio quam ad illas proselytis latas leges referri, quae in illo, quem citavimus, Mosaici codicis loco coniunctae reperiuntur.*

Quodsi porro persequimur originem progressionemque huius controversiae, quae peperit decretum, de quo quaerimus, nec aliud quidquam praeter illud, quod dicimus, aperiatur. Primum quidem litis super ea re initium vel occasionem ductam esse constat a Petri Apostoli ad Cornelium centurionem, eundemque proselytum, profectio-
ne. Atqui ille nequaquam recusabat hactenus, quin cum Cornelii familiaribus proficisceretur, quod nefas existimaret convenire ac docere hominem de gentibus ortum, cum praeclare teneret, e Christi

mandato omnibus ubicumque terrarum gentibus tradi Christi doctrinam debere; sed nimirum ut ad huius generis hominis *convictum* accederet, impetrare a se non poterat. Nam quod profitetur (Act. X, 28.), nefas esse Iudaeo *κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἄλλοφύλῳ*, id non habet hanc vim, ut impium omnino fuerit visum, cum alienigena versari; quo modo enim Iudaei fugere omnem cum profanis hominibus consuetudinem potuissent, aut Apostoli alias etiam inter gentes Evangelium propagare? at familiariter iis uti (*κολλᾶσθαι*), ad eos divertere (*προσέρχεσθαι, ἐπιμείναι* v. 48.), in conviviiis eorum accumbere, hoc homine Iudaeo indignum habebatur. Hac de consuetudine postea conqueruntur Iudaei inter Christianos (Act. XI, 3.): *πρὸς ἄνδρας ἀνδροβυσίαν ἔχοντας εἰσῆλθες καὶ ΣΥΝΕΦΑΓΕΣ ΑΥΤΟΙΣ*. Nec istud visum, quo Petro impura animalia offerebantur, quibus vesceretur, homines profanos significabat,

quorum refugere consuetudinem nequam deberet, sed cibos impuros, qui essent Iudaeis Mosaica lege prohibiti, quibus tamen ne dubitaret vesci, admonebatur a Deo his verbis (Act. X, 15.): *quae Deus pura declaravit, tu ne impura habeto!* nec potest intelligi, cur escae profanae ei per visum oblatae fuerint, nisi, ne harum metu, a profectione ad hominem gentilem deterreretur. Post, cum ipse eodem, quo suam gentiliumque causam defenderat, modo (Act. XI, 4. seq.) pro ea dixisset in coetu eo, qui fecit, quod hic est in quaestione, decretum (Act. XV, 7. seq.), essetque, confecta illa re, profectus Antiochiam: principio non dubitavit cum gentibus convivari; at, cum a Iacobo h. e. Hierosolymis missi, iidemque Iudaei, advenissent, horum metu subduxit sese atque segregavit (Gal. II, 12.); non, quo expelleret Christianos de gentibus e Christiana societate, aut eos ad circumcisionem

compelleret, sed ita, ut eorum convictu minime uteretur; id quod superiora docent illa συνήσθαι μετὰ τῶν ἔθνῶν, a quibus haec: ὑπέσχελλε καὶ ἀφάριζεν ἑαυτὸν perspicue disiunguntur. Itaque, cum in omni hac narratione de ortu ac progressu istius controversiae nihil quidquam, idque proprium Iudaeorum, commemoretur, ad quod accommodare se isti proselyti debuissent, nec magis quidquam harum rerum, quae decretis Mosaicis contrariae essent, his ad fugiendum proponatur, praeter usum talium *ciborum*, quorum caussa Iudaei reformidarent proselytorum familiaritatem atque convictum; (circumcisionis quidem necessitatem Ecclesiae Hierosolymitanae auctoritas statim post primam Petri orationem (Act. XI.) repudiaverat): sequitur, nec in hoc decreto, quod terminat gentilium causam, quidquam praeter escarum profanarum interdictionem esse quaerendum.

Quem *autem* meliorem in finiendo sensu et consilio huius decreti auctorem sequamur, quam Paullum Apostolum? qui et occasionem huic controversiae dedit, et quaestionem ipse ad Apostolos presbyterosque Ecclesiae Hierosolymitanae detulit; cuius ipsius causam hi cum hac gentilium causa coniunxerunt in epistola, qua decretum super ea re ad Antiochenam ceterasque Ecclesias perscripserunt (Act. XV, 25. 26.); qui, quae decreta essent, ipse in primis Antiochiae itemque in Syria Ciliciaque, quibus maxime scripta erant (v. 23.), explanando inculcavit (v. 41.); magnam denique omnium epistolorum partem in hac libertatis Christianae causa defendenda consumsit. In his itaque videamus, quo modo versatus fuerit, cum vel declarando hanc causam tueretur, vel admonendo cavere vellet, ne qui ea ad licentiam peccandi offendendorumque Iudaeorum abuterentur. Nempe non quae-

ritur de rebus iis, quae vel naturae legibus repugnarent, cuius generis nihil hac quidem in caussa venit in disceptationem, sed quae institutis Iudaicis essent contrariae; nec, quae concessae essent aut solutae per leges Mosaicas, sed quae iussae aut vetitae; nec, quae huius generis observarentur a proselytis, sed quae ab iis contra legem fierent. Enimvero, quidquid sit harum rerum, quaerentibus in Panllinis epistolis, inprimisque in locis Rom. XIV. 1 Cor. VIII. seq. Coloss. II. et 1 Tim. IV, nihil prorsus occurrit, quod asperiores Iudaei cupivissent novis Christianis obtrudere (circumsionem semper excipio), nisi: sabbati temporumque sacrorum celebrationem, coniugia omnino fugienda, abstinentiam denique quoad escas lege Mosaica interdictas. Ac primum illud ne neglectum quidem a proselytis videmus, ut qui et tempora illa frequentabant et synagogas, in quibus sabbato lex praelegere-

tur (Io. XII, 20. Act. X, 30. XIII, 42. seq.); nec Apostolos legimus unquam iis, qui Christiani esse vellent, sabbati cultum praescripsisse; quin etiam Paullus (Col. II, 16.) iubet, contemnere eos, qui festorum et novilunii et sabbati necessitate Christianos onerarent. Quod autem essent inter Iudaeos, qui coniugia fugienda docerent, (id erat alterum a Paulo castigatum decretum 1 Tim. IV, 3.), non erat hoc in lege Mosaica praeceptum, sed, ut ait Paullus (Col. II, 23. et 18.) ἐθελουθῆσ-
καία s. θρησκεία τῶν ἀγγέλων, fastidiosa sanctitas quaedam ac paene angelica. De tertio, hoc est, de vitandis profanis quibusdam cibis, tantum abest, ut Paullus ea re obligatos Christianos agnoscat, ut contra nullam huius generis rem aliam magis disputet. Hoc urget unum atque est in eo totus 1 Cor. VIII. seq.: non esse illi licentiae vescendi ita obsequendum, ut Christianos alios, quibus id nefas fuerit

visum, exemplo suo ad imitandum incitent. Quam cautionem maxime refert ad usum carnis immolatae diis, praesertim tum, cum fieret in delubris, e quo suspicio probati decrum cultus nasceretur. Hoc ergo unum ex omnibus Mosaicis decretis Paulo visum est, quod Christiani de gentibus deberent fugere, idque ipsum, quo nihil plus statuebant Apostoli huius generis imponendum esse.

Sed quid fiet ceteris, quae decreto Hierosolymitano, praeter *εἰδωλόθυτα*, continentur? Nempe, quod primum Christiani iubentur abstinere, ab usu *suffocati* et *sanguinis*, id quoque ad *εἰδωλόθυτα* referendum est; nam utrumque in deorum cultu plures apud gentes bibendo vescendoque aut diis ipsis offerendo adhibitum proptereaue vel peregrinis inter Iudaeos interdictum fuisse (Levit. XVII, 10. seqq.), ita demonstrunt viri

docti (*), ut mihi sumi posse videatur. Πορνείαν autem non dubitans dixerim omnem veneris turpitudinem complecti. Quod quidem *primum* vel ipsa vicinitas ostendit, hoc est coniunctio πορνείας cum ceteris, quae hoc decreto continentur erantque ad unum omnia tum frequentata, cum voluptati in epulis sacris gentiles indulgerent; quem ad modum Petrus quoque (epist. I. c. IV, 3.) in vitiis gentilium, quibus olim Christiani fuissent addicti, ἀσελγείας, ἐπιθυμίας, οἰνοφλυγίας, κόμῃς, πότῃς, coniunctim cum ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις enumerat. Scorta quidem utriusque ge-

(*) De sanguine hausto, tamquam nefariae religionis signo et caerimonia, vide 10. SPENCERII dissertationem adhaerentem libro II. doctissimi operis de legibus Hebraeorum ritualibus cap. III. Sect. I. et IV. Edit. Tubing. pag. 603 seq. 614 seq. 10. DAV. MICHAELIS Mosaisches Recht Part. IV. §. 206. et quos ille in hac caussa citavit. De suffocati usu, tamquam re sacra, eundem SPENCERVM l. c. p. 604 et 615.

neris vel in templis pudicitiam prostituisse,
nec a commissationibus, sacris quoque
ipsis, hoc abfuisse lasciviae genus, satis
constat (*). Quid porro caussae est, cur,
cum πορνεία omni de genere impudicitiae
dicatur, atque hoc quidem sensu vel in
sacris scripturis frequentetur (**), propriam
verbi vim vel deseramus, vel eas in an-
gustias compellamus, quarum significatio-
nem auctores decreti Hierosolymitani nul-
lam dederunt? Paullus denique Aposto-
lus, (quo quem interpretem meliorem
quaerimus?) qui in priori ad Corinthios
epistola (cap. VIII—X.) omne hoc decre-
tum ampliori quodam commentario illu-
strasse videtur, non modo iubet eos cavere,

(*) SPENCERVS op. cit. lib. II. c. 35. p. 561. et
p. 611 seq. CHRIST. GOTTL. SCHWARTZII
diss. de commissationibus veterum, Altdorf. 1744.
§. X. XI.

(**) Ct. in primis IO. SELDENI Vxor, Ebraic,
lib. III, c. 23. p. m. 356, seq.

ne omnino anhelent quae prava sint (ne sint ἐπιθυμηταὶ κακῶν) cap. X, 6., nec eo se dedant cultui deorum, quod, Israelitarum exemplo, edendo bibendoque peccent v. 7., sed nec eos magis impudicitia imitentur. Quo etiamsi cum SPENCERO aliisque non retulerim v. 7. illud παίζειν obsceno sensu acceptum, Paullus tamen cum idolorum cultu epulis et compotatione celebrato fugiendam dicit πορνεῖαν, cuius causa XXIII. millia Israëlitarum perierint; in quo perspicuum est e loco Numer. XXV, 1. seq., proprie intelligendam esse πορνεῖαν eamque tum admissam, cum Israelitae, ad deorum Moabiticorum sacrificia invitati, sacris horum epulis interessent, puellarumque consuetudine uterentur.

Quinam secus in loco nostro vocabulum πορνεῖας h. e. qui tropice aut qui angustiori sensu, et vario quo modo acceperint? qui porro contra dixerint et qui-

bus sint argumentis usi in contrariam partem? non attinet enumerare; sunt enim haec satis nota e WOLFFIQVE et aliorum libris petenda. Nec quidquam placet addere de iis, quae Viri docti nuper admodum hanc in rem disputavere, satis, ut mihi quidem videtur, excussis in HANSENII, V. V. Disputatione, (*) cuius quasi quoddam auctarium volumus hanc pro-
 lusionem esse. Sed video praetermissa esse, eaque non contemnenda, studia clarorum duumvirorum, qui nostra memoria novam interpretationem instituerunt. Unus est BARRINGTONVS, illustris Britannus, qui (**) singulari dissertatione illustravit epistolam Act. XV., causamque, cur haec quatuor inter vetita relata fuerint, reperisse sibi visus est, praeeunte quodam modo SPENCERO, Levit. XVII. et XVIII;

(*) XX. XXI.

(**) Volumine II. *Miscellaneorum SS. Essay. IV.*
 p. 255. seq.

in quo loco Mosen putat sanxisse, ut vel peregrini inter Israelitas sibi ab his quatuor rebus caverent, h. e. proselyti portae, ut bene BARRINGTONVS demonstravit. Alter, DAN. HENR. HERINGIVS, V. V. (*) *πορνεῖαν* non tam omnem impudicitiam, ut ille, proselytis interdictam isto decreto arbitratum, quam cautum potius, ne quam feminam in matrimonium ducerent, quae idolorum cultui mancipata esset. Sed nec huius, nec illius sententiam probare possum. — Primum hoc utriusque commune vitium est, quod ita adhibito vocabulo Apostoli non essent ad omnium intelligentiam accommodate locuti, quae ambiguitas in primis vitiosissima est; quo modo enim potuissent proselyti vim istius verbi inusitatam sine errandi periculo reperire, cuius ne minimam quidem significationem

(*) In dissertatione de voce *πορνεῖα* in decreto Apostolico Act. XV, quae exstat in *Bibliothecae Bremensis novae* Class. IV. Fasc. II. p. 289. seq.

Apostoli dedissent? Ad evellendum hunc scrupulum quid fecerit HERINGIVS (*) equidem non ignoro, et haberem quae commode contra dicerem, si quidem hic longus esse vellem. Omnino semper ad quaerendum restant haec duo: *primum*, si vel proselyti omnem admodum variam vim verbi, de quo quaeritur, tenuissent: quo modo potuissent certo scire, Apostolos hanc ipsam rariorem, nec ullam aliam magis frequentatam vim exprimere voluisse? *Deinde*, si quis diceret: adfuisse Paullum, Barnabam ceterosque, decreti illius interpretes, qui obscuritatem ab isto verbo potuissent depellere, cur tamen Apostoli in gravi controversia finienda, ferendaque lege universa, neglexissent perspicuitatem ita, ut lex non, nisi adhibito interprete, potuisset intelligi? — In BARRINGTONII sententia hoc quidem

(*) loc. cit. p. 319. seq.

recte dictum agnosco, proselytis quoque, non tantum Israelitis, Levitici cap. XVII, 10. seq. interdictum fuisse ne sanguine aut suffocato vescerentur, eadem igitur de re etiam proselytos in Christianam Ecclesiam cooptatos admoneri debuisse, ne Iudaei offenderentur, qui hanc proselytis omnibus praescriptam a Mose legem scirent. Veruntamen licebit dubitare, utrum et cetera, per decretum Apostolorum interdicta, ex isto loco codicis Mosaici ducta sint. Nam, etsi leges Levit. XVII. et XVIII. ad proselytos et Israelitas pariter pertinere video, MICHAELIDI etiam (*) facile assentior existimanti, cavere Mosen lege ea, quae est Levit. XVII, 1-9, voluisse: ne quis se victima diis commenticiis oblata contaminaret: decretum tamen Apostolorum vetat *cibum* diis consecratum capere. Huius criminis reus poterat esse

(*) In notis ad Lev. XVII, 3.

aliquis, etiam si ipse non immolasset diis, omninoque animalia nemini, nisi vero deo, obtulisset; itaque lege Levit. XVII. nullo modo cautum erat, ne quis *εἰδωλοθύτοις* vesceretur, neque hoc ipsum ibi proselytis interdictum poterat putari. De *πορνείᾳ* repeto quod modo dixeram. Si *πορνείας* nomine Apostoli comprehendissent nominatim ac proprie flagitia ea, quae Levit. XVIII. enarrantur, cuinam haec singularia scelera potuissent in mentem venire, cum *πορνείαν* sibi interdictam andivisset? Certe Iacobus Apostolus si haec interdicenda ex isto Mosaico loco duxisset: quo modo non potius, ut perspicue, quid vellet, exprimeret, rationemque vetiti redderet, ipsum legis Mosaicae locum citasset, quod alia in re fecit Act. XV, 15—17.? — HERRINGII interpretationem quo minus admittam, praeter ea quae dicta sunt, impedit hoc, quod nullo in loco N. Test. qui commentarium quasi quendam conti-

net in Hierosolymitanum decretum, (cuius generis fere sunt 1 Cor. VIII—X. 2 Petr. II. Iudae vers 11. seq. Apocal. II, 14 et 20.) *πορεία* est eo sensu, ut matrimonia cum profanis hominibus complectatur, sed sensu maxime obvio de impudicitia universa. Habeo etiam quod dubitem, utrum huius generis matrimonia subire, omnino Christianis nefas visum fuerit; Paullus quidem talia videtur dissuasisse 1 Cor. VII, 39. extr. *sui ex animi sententia* (*κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην*) ut ait v. 40., non igitur e lege quadam, quae ea de re inter Christianos exstisset.

Satis, ut quidem arbitror, docui: nihil in decreto Hierosolymitano prohibitum esse, nisi usum eorum ciborum, quem lex Mosaica tamquam signum propendentis in idololatriam animi nefandum iudicasset, istiusque impudicitiae, quae a Iudaeis eodem in numero haberetur; qui-

bus igitur rebus religiosi inter Christianos Iudaei impedirentur, quo minus cum his qui talibus uterentur, religionis communitatem subire aut conservare possent. Neque igitur de rebus quibusdam quaerebatur, quae sua natura, sed quae de Iudaeorum sententia turpes essent. Iacobus quidem vers. 21., non alio ad persuadendum argumento utitur, nisi hoc, quod Moses singulis in urbibus habeat, qui eius de auctoritate concionentur, isque sabbato quoque in synagogis recitetur; quo significat, haec eorum caussa fugienda esse, qui legum Mosaicarum, quoad vel a profanis, attamen veri Dei cultum cum Iudaeis communiter tenentibus, observandae essent, contentu offenderentur. Quo modo etiam ii, qui hanc legem tulerant, scribere potuissent vers. 29.: se novis de profanorum stirpe Christianis *nullum aliud onus imposituros esse, praeter haec necessaria;* cum multa alia sua sponte necessaria essent

et longe plura prohibenda, si rationem naturae, non singularium de istis rebus sententiarum rationem habuissent? Nec ullo modo intelligi potest, cuiusnam impietatis reus sit is, qui carne Dñs olim oblata, aut sanguine aut animalibus suffocatis vescatur, si horum ciborum naturam unice spectes? quae est ipsius Paulli sententia, qui dñs immolata sive de victimis reliqua nulla concedit esse minimeque sacra, sed hactenus negat sine impietate edendo consumi posse, si quis talibus tamen, tamquam cibis sacris vescatur (τῇ συνειδήσει τῶ εἰδώλῳ, 1 Cor. VIII, 7. X, 20.). Eadem ipsa de causa non voluerunt ipsius decreti auctores quidquam proponere novis Christianis, quod hi sui causa fugere deberent h. e. si soli secum essent nemineque inspectante huius modi cibis uterentur, sed quae aliis praesentibus intermittenda essent, ne hi ea re, tamquam aliquo scelere, offenderentur; nec alio sensu Paullus haec nefaria censeret

esse, dum dicit (1 Cor. X, 28. VIII, 10.):
 si quis te admonet, haec diis olim oblata
 fuisse, si te viderit in delubro discumben-
 tim, et quae sunt generis eiusdem. Su-
 mitur denique in omni hoc decreto: eum
 aliqua impietate obligari, qui huius modi
 cibo non tamquam promiscuo vescatur, sed
 eo animo, ut rem sacram faciat; eum certe
 tum religiosos aliorum animos offendere,
 cum suspicari possint fore, ut tali consi-
 lio aut animo ad deorum commenticiorum
 cultum proclivi rem omnem suscipiat. Qua-
 re nec ipse Paullus in illo, quem diximus,
 loco reprehendit eos, qui de vanitate deo-
 rum persuasi talibus vescerentur, sed ve-
 retur, ut omnes ita eadem de re iudicent
 (ἐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, 1 Cor. VIII, 7.). Iam,
 si vera sunt, quae de illius decreti natura,
 occasione et consilio disputavimus, facile
 est ad intelligendum, eius hodie apud no-
 stros Christianos, nisi alias idololatriae fu-
 erint addicti, auctoritatem nullam esse

posse. Falsis quidem diis nihil immolatur; veneris in sacris usus nullus est, quem quis licere Christianorum putet; si quis vel sanguine aut animalium suffocatorum carne vescatur, voluptatis res est, non religionis; nec quisquam ita stultus est nostrum, ut, qui talibus edendo fruatur, eum suspicetur hac re falsos colere Deos velle, proptereaque communionem cum eo Christianam repudiet; sublata igitur decreti causa, quomodo nobis scriptum existimetur?

At haec sunt in promptu; neque nunc de nostris quaerimus, sed de hominibus iis, quibus legem tum Apostoli cum ceteris tulerint? Atque hic BARRINGTONVM video existimare (*) multisque rationibus contendere, quibus efficiat: Apostolos non omnibus omnino Christianis haec ad fugiendum praescripsisse, qui tum tempo-

(*) loc. cit. pag. 269, seq.

ris a profano deorum cultu ad Christianam disciplinam transiissent ac potius transituri essent, sed Iudaeorum proselytis tantum, qui quidem se posthaec adiunxissent Christianis. Cuius non singula argumenta discutiam, nec id est necesse; satis est rationes proponi in contrariam partem, quibus et erroris aperiantur fontes, et argumenta vanitatis convincantur. Neque autem hic *primum* quaerendum videtur: sitne occasio et caussa redditi ab Ecclesia Hierosolymitana responsi in istis proselytis quaerenda? Quod nemo dubitet; nec tamen sequitur, Apostolos unum horum mores informare voluisse, ceterorum, qui sine Iudaicae religionis interventu Christi se disciplinae dedissent, rationem nullam habuisse. Cum *porro* haec pauca in vetitis habenda censerent, non haecemus dixerant sententiam, ut religioni proselytorum Iudaicorum parcerent, quos scirent e legum Mosaicarum in synagogis

recitatione haec fugienda didicisse (sic quidem BARRINGTONVS putabat), sed ut averterent ea, quibus Iudaei in ceteris Christianis offenderentur; Iacobus certe (vers. 21.) non proselytos appellat, quos miraturos existimaret, si haec in legibus sacris vetita ne sibi quidem prohiberentur, sed Iudaeos Mosis auctoritatem proclamantes, quorum causa se ceteri ab istis cohibere deberent. Hoc unum igitur hoc loco in disputationem cadit: utrum, qui scripserint Hierosolymitanum decretum, illud ad omnes omnino referri voluerint, qui relicto deorum cultu se ad Christi disciplinam applicassent, sive ante iam, illa impietate abiecta, unum cum Iudaeis Deum coluissent, sive nunc primum eum unum verum Deum et Iesum eius legatum agnovissent, si quidem vellent cum Iudaicis Christianis in unam societatem coire? an haec fugienda non nisi ab iis postulaverint, qui proselyti inter Iudaeos ex iisque Christia-

ni facti essent? Hoc quidem BARRINGTONO, mihi illud videtur.

Ac *primum* vix dubitari potest, quin iam tum, cum quaestio de novis e profano grege Christianis Hierosolyma deferretur, non modo proselyti, sed alii quoque de gentibus se religioni Christianae addixerint. Nam etsi BARRINGTONVM video statuere, aliquot demum annis post istud tempus hanc profanorum quasi translationem incidisse Act. XXI: nullam tamen affert idoneam caussam, qua efficiatur ut ita sentiendum esse putemus. Quamquam enim non ignoro, τὰ ἑθνη etiam proselytos esse posse, aequae certe hoc nomen alias omnes complectitur, qui se diis commenticiis mancipassent. Paullus quidem iam ante hoc tempus non modo proselytis sed ipsis etiam profanis tradiderat doctrinam Christianam, ut Sergio Paulo, Proconsuli, Act. XIII, ut Lystrensibus Act. XIV, qui

vel victimam ei offerre voluerant, quos primum admonuerat vers. 15, ut ab idolorum vanitate se ad Dei immortalis cultum converterent, eademque erat oratione persecutus simillima eius, quam posthaec habuit apud Athenienses cap. XVII., quos proprie profanos fuisse perspicuum est. Iam cum Paullus et Barnabas, superioris quaestionis causa ad metropolim missi, cap. XV, 4. denuncient, quomodo fuerint adiuti a Deo inter gentes, istisque *fratribus inter gentes* rescribant Hierosolymitani v. 32. decretum, quod in quaestione est: quidni his omnibus, non modo proselytis, legem illam latam arbitremur? Nec, cum Act. XXI. de omnibus quaeritur iis, qui *πεπισευκότα ἔθνη* appellantur vers 25, novas illis proponunt leges, sed se planissime profitentur iamdudum his nihil aliud iniunxisse, nisi hoc, ut sibi ab *εἰδωλοθύτοις* caverent ceterisque, quorum caepe mentionem fecimus. Nec *praeter ea*

est in oratione Iacobi Apostoli Act. XV, 13 seq., quem proprie huius decreti auctorem esse e Lucae commentariis discimus, quod rem secus accidisse arbitremur; quā potius omnia cum istis, quae volumus, consentiunt. Profert ille quidem in hac caussa illustre oraculum, quod commemorat omnes gentes ἐφ' ἃς ἐπικέκληται τὸ ὄνομα τῷ Κυρίῳ, quae sint e Domino h. e. veri Dei cultores nominandae; non vult igitur turbari eos qui de gentibus se ad Deum converterint (τὰς ἀπὸ τῶν ἔθνων ἐπιστρέφοντας ἐπὶ τὸν Θεόν). Quibus Iacobi verbis, ut hoc obiter dicam, prorsus evertitur commentum BARRINGTONI existimantis, valde diversam esse vim formularum: ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν ΘΕΟΝ et ἐπὶ τὸν ΚΥΡΙΟΝ, illamque de illis adhiberi, qui relicto deorum cultu verum coepissent colere Deum, aut sine Iudaicae disciplinae interventu, statim cum profana religione Christianam commutassent; hanc autem de istis, qui iamdudum,

abiecta illa impietate, primum Iudaicae religioni, tum, tamquam proselyti, Christianae se dedidissent. Quod discrimen verborum vanissimum est et nostrum per locum facile convincitur, in quo Domini et Dei nomina planissime permutantur. Quid igitur caussae sit, cur in ἐπιστρέφουσι ἀπὸ τῶν ἔθνων ἐπὶ τὸν Θεόν solos proselytos quaeramas, ac non potius omnes qui se diis commenticiis abdicassent, cum prophetae oraculum omnium gentium mentionem faciat, quae nomen a Domino acceperint suum, quaeque ab iis disiunguntur, quos vates ad collapsam Davidis domum h. e. ad Iudaeos retulisset? plane ut in altero Iacobi loco Act. XXI, 20 et 25 πεπιστευότες Ἰσραῖοι et πεπιστευότα ἔθνη discernuntur, in quibus nemo est quin omnes de gentibus Christianos agnoscat. Paullus denique primam ad Corinthios epistolam haud dubie non modo istis Christianis scripsit qui ante Iudaicae Ecclesiae, sive

ut Iudaei sive ut proselyti, addicti fuerant, sed his etiam, qui proxime ab idolorum cultu transierant ad Christianorum Ecclesiam. Etenim nullo modo credibile est, Paullum in ea urbe, quae magnam gentilium, et sane exiguam Iudaeorum copiam complectebatur, in qua sesqui annum Evangelio docendo consumserat (Act. XVIII, 11), nullos de falsorum deorum cultoribus Christianae disciplinae conciliasse. Nec magis existimaverim, hos, qui isto in coetu scortandi licentiam vel rationibus exquisitis defenderent (1 Cor. VI, 13. seq.), aut epularum profanarum, vel in delubris celebrandarum, cupidissimi essent (cap. VIII, 13. X, 14. seq.), de numero proselytorum fuisse, qui, etiamsi Mosis instituta non omnino sequerentur, certe non fana frequentabant aut epulis gentilium sacris solebant interesse, cum scirent hoc manifestae idololatriae professionem haberi, nec in proselytis quidem numerati fuis-

sent, si ne ab hoc quidem scelere cavis-
sent sibi. Enimvero Paullus in eadem epi-
stola eadem, ut supra diximus, fugienda
iubet, quae Hierosolymitano prohibita es-
sent decreto, eademque de caussa h. e. ne
in suspicionem probatae idololatriae veni-
rent, offenderentque Iudaeos. Itaque, cum
huic decreto accommodatissime disputet
Paullus, his quoque, non solis proselytis,
illud scriptum esse, confirmat. Neque cur
ita statuamus, impedit hoc, quod istius re-
sponsi nullam mentionem iniecerit. Neque
enim magis in epistola ad Galatas, quae pa-
riter est ac illa ad Corinthios post istud
decretum scripta, provocat ad latam hanc
ab Apostolis sententiam, neque in Petri
castigatione cap. II. ei hactenus exprobrat
inconstantiam, quod decreto a se ipso pro-
bato ad deliberandumque proposito ne-
quaquam steterit. Ac potuit in epistola
Corinthiis dicata hoc praetermittere silen-
tio, ne, tamquam Apostolus, qui suam

vellet auctoritatem defendere, nec minor ceteris haberi, putaretur ex aliorum auctoritate pendere, praesertim apud eos, quos sciret perspicuis argumentis ex ipsa rei natura ductis magis quam cuiusquam auctoritate moveri; vel Petri ut famae parceret, nec offenderet istos, qui in Corinthiorum Ecclesia eum maxime sequerentur (cap. I, 12.). Quidquid tamen caussarum fuerit, cur noluerit isto decreto uti, satis est, quod rem ipsam et decreti rationem omnem expresserit.

Neque vero nullius momenti videbatur haec disputatio esse, quae istius decreti vim omnibus Christianis assereret, qui tum e pristinis Deorum cultoribus conflati fuissent. Plurimum quidem luminis afferet cognoscendae Nicolaitarum disciplinae, quam accuratius (sic quidem animus erat) hoc loco persequerer, nisi ita longam disputationem exstituram praevi-

derem, ut huius prolusionis angustiis commodè circumscribi non posset. At mihi quidem decreti Hierosolymitani paullisper explicandi causam attulit, PETRI HANSENII, Viri Venerandi, voluntas et Collegii auctoritas nostri, quod EI doctoris in Theologia honores decreuit, eosque in illum collatos hoc publico testimonio firmari voluit. Qui quis sit, quamque se hoc ornamento dignum reddiderit, satius est ex ipsa Eius narratione intelligi:

*E*go, PETRVS HANSEN, natus sum Havniae, quae est regia monarchiae Danicae urbs, die VIII. Maii A. C. MDCCXLVI, non ex illustri gente, sed ortus a patre Mathia Hansen, sutor, et Anna Maria Malling, itidem futuro filia; quos parentes probitate et diligentia conspicuos grata in Deum mente ac pietate recordor. Matri meae in-

primis animi corporisque decore praestanti rara felicitas contigit, ut inter quamplurimas deligeretur, quae Principi Daniae nato, nunc felicissime regnanti Regi, CHRISTIANO VII. Domino nostro clementissimo, lac praeberet, septemque per annos eius nutritioni et educationi provideret; qua re providentia divina dignata est deinceps meae quoque fortunae prospicere.

Cum a prima pueritia studiis liberalibus destinatus essem, plurimum virorum doctrina et cura fruebar, in quibus verissima pietate commemoro Dn. IO. PETRUM KIAERVLF, nunc aedituum ad aedem Spiritus S. quae Havniae est, quocum me igitur etiam provector aetas, Deo ita providente, in eadem Ecclesia singulari, tamquam cum magistro discipulum, coniunxit. An. MDCCLXIV stadinm academicum ingressus sum, et,

D

*cum specimina profectuum in literis dedissem in examine philosophico, admis-
sus ad cursum theologicum, inprimis pro-
feci in studiis Theologicis, quibus me
dicaveram, e ROSENSTANDIO GOIS-
KIO et IO. ANDREA CRAMERO, aca-
demiae Kiloniensis posthaec Vicecan-
cellario, viris, quorum memoria num-
quam apud me intermorietur, quique
me post examen, quod subieram, theo-
logicum testimoniis suis decorarunt.
Post, cum aliquod tempus dedissem iu-
venum institutioni, ut vel hac re hu-
maniorum disciplinarum cognitione ma-
gis proficerem, consilium cepi perfe-
quendi studia in quadam Germaniae
academia, meque, adiutum liberalitate
Regis clementissimi, contuli in acade-
miam Halensem, per CRAMERVm com-
mendatus SEMLERO, qui nunc eximi-
orum meritorum mercede in oris caeles-
tibus fruitur, et NOESSELTO, cuius stu-*

diis in formanda doctrina et pietate studiosorum et propagandis divinarum literarum studiis ex animo opto, ut clementer annuat Deus. Ibi sesqui annum confeci a vere anni MDCCLXVIII ad autumnum anni LXIX, usus horum virorum doctrina in Theologia dogmatica et morali, historia Ecclesiae Christianae et exegesi librorum Novi Testamenti; nec neglexi in Philosophia MEIERVM audire, in Ethica philosophica KLOTZIVM, in interpretando Vetere Testamento VOGELIVM.

Cum autem mihi persuasissem, vehementer prodesse hoc ad progressus in studiis faciendos, si non modo repeterem iam tractatas disciplinas, sed novis etiam ducibus, varietate doctrinae et modi, quo disciplinae traderentur, proficerem, mecum constitueram etiam adire academiam Ienensem, in qua as-

siduus adhaesi lectionibus KOECHERI et DANOVII theologicis, philologicis autem IO. ERN. IMMANVELIS WALCHII. Tum redux in patriam anno MDCLXX, sub initium anni sequentis vocatus sum Helsingoram, ut munus Diaconi ad aedem b. Mariae Virginis susciperem. Cui Ecclesiae cum per quinquennium non sine fructu ministrassem, aditum mihi fecit divina providentia ad alium Christianum coetum regendum, meque transtulit Schanderburgum in Iütlandia, ubi primarii Pastoris locum obtinui. Quem locum anno MDCLXXIX commutavi cum loco primarii Pastoris Ringstedii in dioecesi Siaelandiae, usque dum anno LXXXVII consequerer similem locum Havniae ad aedem Spiritus S. quo Dei gratia adhucdum fungor. Cuius clementissimi Dei beneficio etiam hoc grata mente tribuo, quod anno LXXX mihi non quaerenti aut expectanti conces-

sum fuerit nomen Professoris extraordinarii in Theologia.

*Nec mihi defuerunt domestica gaudia, quibus me divina providentia mac-
tavit. Bis quidem felicissimo coniugio
me beavit; primum cum desideratissima
femina HEDEVICA ELISABETHA RVNC-
KELIA, quae mihi peperit tres filios, ter-
tium cum ipsa vitae iactura. Alterum
coniugium contractum cum carissima
uxore ABELINA MARIA CLAUSSENIA
fortunavit Deus novem liberorum benefi-
cio, quamquam ex omnibus his liberis
meis non, nisi sex filii duaeque filiae,
supersunt.*

*Idem, et in vitae academicae
cursu et in officio publico constitutus,
ausus sum me libris scribendis dare, e
quibus minutos quosdam singulosque fer-
mones sacros in lucem editos praetermit-
to, nec nisi hos commemorandos puto:*

*Versuch eines philosophischen Beweises
von der Freyheit Gottes, Halae 1769.
8.*

*Oratio de Divino in Reformatione Lu-
theri, quam recitavi in Societate la-
tina Ienensi A. MDCCLXIX, Ienae
1770. 4.*

*Dissertatio de variis inter gentes Deum
colendi modis, Ienae 1770. 4.*

*Hellige Taler, holdte i Cabinetted pan
Kronborg, for Dronning Caroline Ma-
thilde (h. e. sacri sermones recitati
in aedícula Kronenburgensi coram Re-
gina, Carolina Mathilda), Helsingo-
rae 1772.*

*Et Folks Lyksalighed, som er sin Regent
hengiven. En Tale pan Christian VII
Foedsels Dag, Wiborg. 1777. (h. e.
Felicitas populi, qui Regi suo addic-
tus est.)*

FRID. GERM. LÜDKES *Communion Bog,*
oversat of de tydske, med en Afhand-
ling om de forskiellige Laeremeinin-
ge cet. (h. e. F. G. L. liber praeparato-
rius ad S. Coenam, e germanico idio-
mate translatus, cum dissertatione de
variis super sacra coena sentiis),
Havniae 1780. 8.

Praekener over evangeliske Texten (Ser-
mones in textus Evangelicos), Soroae,
tribus Voll. 1781. 83 et 87.

Christendommens Dyde Laere, (Ethica
Christiana), Pars I. Havniae 1782,
cuius de continuatione quo minus cogi-
tarem, cumulati muneris mei labores
impediverunt.

Denique Venerandus Theologorum
Ordo in academia Halensi in me post
oblatam ei dissertationem, quae conti-
net: Observationes miscellaneas
in illa Actorum Apostolicorum

loca, quae de primorum Christianorum conventibus et congressibus sacris agunt, summos in Theologia honores academicos, quos petieram, contulit. Quibus Venerandis Viris pietatem meam gratissima mente hoc magis profiteor, quo magis animo meo observantur beneficia, quibus me olim in illa academia viventem meminisse mactatum et auctum literarum divinarum scientia.

Sic de vita sua VIR VENERANDVS;
cuius studia ut Ecclesiae Domini nostri
IESV CHRISTI fructuosissima reddat,
illumque praeclarorum de patria et multorum hominum salute meritorum fructum
diu capere iubeat DEVS O. M. verissime
optamus. P. P. in academia, quae Halae
est, Fridericiana, mense Ianuario A. C.
MDCCLXXXIV.

XIII 609

